



# Disputatio metaphysica pro novitate essendi

<https://hdl.handle.net/1874/341238>

DISPUTATIO METAPHYSICA;  
 PRO  
**NOVITATE ESSENDI.**  
 QUAM  
 Favente Deo Opt. Max.  
 SUB PRÆSIDIO  
*Clariſſimi Doctiſſimi que Viri,*  
 D. PAULI VOET J. U. D. & L. A. M. Meta-  
 physices ac Logices in almâ Academiâ Ultraje-  
 ctinâ Professoris ordinarii,

*Publice defendere conabitur*  
**LEONARDVS à RYSEN** Ultrajectinus.  
*Ad diem 15. Novemb. horâ 1. pomeridianâ.*



ULTRAJECTI,  
 Ex Officina JOHANNIS à WAESBERGE,  
 Anno M. D. C. LI.

Reverendis gravissimiisque Viris

D. HENRICO à MERKERCK } Illi Reipubl.  
D. HERMANNO à ROYESTEYN , } Ultraj. sena-  
tissimo, Vrbis Fabrica praefecto ac inspectori fidelissimo, Camera-  
rio vulgo dito. Huic civitatis Ultrajectina Mercatori pruden-  
tissimo, avunculis suis parentis loco venerandis,

NEC NON

Clarissimis ac Celeberrimis viris,

D. PAULO VOET, } Illi I. V. D. L. A. M. ac  
in Academia Ultraj. Me-  
D. ANDREÆ ESSENIO, } taph. ac Logices Professoris  
Ordinario prafidi, Praeceptorique. Huic S. S. Theol. Doct. L.  
A. M. atque Trajectina Ecclesia Pastori vigilantissimo Mae-  
natis fautoribusque suis indefessis,

Philosophicum hoc exercitium in grati-  
animi signum ,

D. D. D.

LEONARDUS RYSSENIUS

Auth. & Resp:

DISPVVTATIO METAPHYSICA  
PRO  
NOVITATE ESSENDI.

THEISIS I.

**D**isputationi de Creatione, vel de duratio-  
ne quandoq; annexunt Metaphysici quæ-  
stionem illam quam pro prælenti, exami-  
ni subjecere animus est, sc. utrum de ra-  
tione creationis sit novitas essendi seu  
clarus: An ab æterno creari quidpiam  
possit: per potentiam intelligimus absolu-  
tam in signo rationis omni decreto priorem? Sententia ne-  
gativa mihi verior videtur, quæ ut constet rationem u-  
nam aut alteram pro chartæ angustia in medium proferam,  
& quidem argumento satis trito, sed universo argumen-  
tabor. Si repugnat ex parte Creatoris, creationis, creatu-  
ræ, creaturam esse ab æterno, ergo fieri nequit ut creatur-  
ab æterno. Verum prius, ergo & posterius.

II.

Repugnat ex parte creatoris, non quidem propter poten-  
tiæ defectum, sed omnimodam ejusdem perfectionem. Quod  
ita probatur, quia non potest Deus creaturam creare quin  
habeat durationis principium, non ergo quæ eo careat pro-  
duci poterit. Si enim Deus creaturam creare, quæ non ha-  
beat principium essentiaæ, non potest, ergo etiam non pote-  
rat eam, quæ non habeat principium durationis creare. Sed  
verum prius. Ergo, ratio conseq. est: Quia impossibile est,  
ut id quod durat, permanet in esse, seu essentia rei habeat  
principium; & non ipsa duratio seu permancio in esse. Tho:  
Barlow exer. 5. Cum enim Duratio utpote modus, à re cu-  
jus est duratio dependeat, nequit in infinitum antecedere  
rem à qua dependet, sed ubi & quando res incipit, ibi & tum

demum duratio incipit, quæ cum sit permanens rei in esse: utique nulla dari potest duratio, nisi res, in ejus definitione posita quæ duret, etiam detur, quæ nec durationem excedit, nec ab ea exceditur. Minor probatur; quia non potest creaturam creare quæ sit Deus hæc autem foret Deus: etenim cuius essentia non incepit per creationem, id ipsum est Deus, cuius essentia vero non habet principium in se sc. & formaliter, ejus essentia non incepit per creationem, ergo cuius essentia non habet principium, id ipsum foret Deus. Major extra dubium: essentiam enim incretam mox infinitudo præsentiae, potentias durationis, & omnia sequuntur creationi repugnantia. Minor patet, quia illa essentia esse non potuit actionis, scilicet creantis, terminus: quæ enim essentia terminus actionis fuit, illa vi istius actionis, cum alioqui non fuisset, existere cœpit, vi enim creationis res oritur, & nisi illa fuisset, res semper mansisset in potentia objectiva, cuius objectum est possibile tantum, hinc sequitur illud quod terminavit actionem creantem novitatem seu principium habere, & contra quod principium non habet illud non terminasse creantis primo præsentem actionem? Actio enim præsens primo, proximè antecedit actionem eandem, ut volunt, ut est conservans, eam igitur ita eodem non patitur præsenti, igitur & illud quod per illam constituitur, eodem primo præsenti non patitur hoc, quod per hanc constituitur: cum maxime terminatione à conservatione creatio differat, per illam autem constituitur oriri, vel ut parum doctrinæ lux memor Scheib. d. l. 683. illa actio rei confert primum esse, per hanc rei ortę in essendo continuatio, igitur quod terminat dum terminat actionem illam, id recipit illud quod non anteceditur ab alio in se, & quod proximè antecedit alia, hoc autem principium est. Ergo quod terminavit primo præsentem actionem quod incepit per creationem id habet principium essentiae ac durationis, & contra quod essentiae & durationis principium non habet, per creationem non incepit seu creatum non est nec creari à quoquam, quoniam Deus foret potest aut potuit.

Quod

Quod erat probandum.

III.

2. Si Deus non potest creaturam creare quæ ab æterno existat, & etiam non sibi coæternam. Sed verum prius. Ergo. Major prob. quia quod in esse admittit prius id Deo duratio- ne cœternum esse nequit, quod autem, ut ab æterno existat, creari non potest, id necessario in esse prius admittit, scilicet quod ab æterno exstitit. Minor probatur si Deus non potest creaturam creare dum existit. Ergo etiam non quæ ab æterno existat, ratio est, quia quicquid ab æterno existeret, id nunquam non existeret, itaque si Deus quid posset creare quod ab æterno existeret, posset quid creare quod nunquam non existeret, illud autem aut posset creare dum existeret, aut dum non existeret, posterius dici non potest, quia in nullo tempore imaginario, quod necessario per dum notatur, non fuit, prioritatem naturæ postea tollam, non prius, quia adhuc valeret consequentia; si non potest quid creare dum existit etiam non potest quid creare quod ab æterno existat. Sed verum prius. Ergo & posterius, quicquid enim non latet nec latuit in virtute causæ id causa creare non potest, educi enim è potentia causæ in actum existentię non potest, quod in causa non latuit, quicquid autem ex- stit dum existit non latet in virtute causæ, & quod ab æterno exstitit nunquam latuit in virtute causæ, existentia enim ponit rem è potentia objectiva in esse reale adeo ut impossibile sit rem habere actum existentię & simul tamen latere in sua causa, per eum enim posita est extra causam in se ipsa, igitur Deus non potest creaturam creare dum existit sine novitate. Quod ex eo etiam manifestum est, quia in præexistens nihil mutari potest, omnis autem creatio mutatio quædam est docente Scal.d.l. & approbante Scheib.d.l.n.636. itaque in præexistens etiam nihil creari potest. Sed vero clamabit quis, idem etiam probat in tempore nil creari potuisse, & tum nec esse. Resp. Negando paritatem quia in tempore deduci res de-

potentia objectiva in actum potest, & tum quæstio tantum  
est quonam momento dicenda sit creari, & responsio  
facilis, quod cum creatio concipitur ut mutatio seu motus  
quidam tum creatur res dum non est, cum enim ad terminum  
deventum est qui est existere cessat motus cum autem  
concipitur sine motu & passione ut hic, tum creatur res dum  
est, non in genere, sed primo, atque ita novitatem effendi in-  
cludit ut satetur Tho. 12. q. 45. ad 3. ibi autem eam include-  
re non posset: Hoc itaque ei applicari non potest: si creatio  
accipitur ut relatio, jam per se patet quod non prius referatur  
ad Deum priusquam sit. 2. Siquid posset creari quod ab æterno  
existeret posset quid creari quod ab æterno posset annihilari,  
neque enim insuccessiva æternitas propria ejus duratio foret.  
Neque quod dicunt valeat scilicet illud necessario per infinitum  
tempus existere debuisse antequam annihilari potuisset, hoc  
enim tempus successivum esse non potuisset, cum non de-  
tur successio ubi non datur primum neque non successivum,  
tum enim unum tantum ac perpetuum prælens esse debui-  
set, atque ipsa Dei duratione durasset. ergo cum duratione ab  
æternitate distincta duret cur non quamdiu positivo influxu  
in esse conservata est tam diu potuit annihilari? nequaquam  
enim creatum conservare tenetur Deus, quamdiu autem  
creatura exstitit tamdiu influxu isto in esse conservata est.  
Zua. disp. Mera. 21. Sect. 1. Scheib. lib. 2. cap. 3. n. 688. ab æter-  
no autem extitisse ponitur, ab æterno igitur, etiam annihili-  
lari potuisset. absurdum vero consequens; ergo & antecedens,  
quod enim annihilatur illud existit priusquam annihiletur,  
annihilatur enim suspensione influxus Zua. Scheib. d. 1 ubi  
cunque autem est suspensio influxus, ibi antecessit influxus,  
ille autem non antecedit, nisi & res antecedat per hunc in-  
fluxum conservata vel saltem creata. Ergo 1. res illa extit-  
set ante ipsum ab æterno cum ab æterno etiam non extitisset  
ut pote annihilata. 2. Simul extitisset, & non, primum quia  
ab æterno conservata vel saltem creata, alterum quia ab æ-  
terno annihilata, cuius terminus est non esse.

Ex

## IV.

Ex parte creationis: si omnis creatio in præsenti instanti fiat, tum nulla fieri potuit ab æternio. Sed ergo, ratio constat, quia prælens illud instans creatæ durationis terminus foret quod hypothesi repugnat, ac reliqua duratio ab eo dependet, cum enim actio terminaretur in præsenti tum quoque deum constitueretur effectum, nequit præcedere quia propter terminum sit actio non vice versa, igitur effectum scilicet duratio creatæ, ab eo quoque dependeret, ante quod instans enim duratio non est, & post quod est, ab eo ut à termino dependet, sed prælens creationis instans est illud ante quod duratio scilicet non est, & post quod est. Ergo ab eo ut à termino dependeret. Major certissima quia illud prælens durationis positive primum. Minor probata prioris argumenti assumptione extra dubium erit. Iam autem si creatio necessario in præsenti fieret, à quo reliqua duratio ut à termino dependet certum nullam ab æterno fieri posse, hæc enim in tali præsenti fieri non posset: Min. pro: quia est actio momentanea non successiva, omnis autem actio montanea, non in præterito, nec in futuro, sed in præsenti instanti fit: præteritum enim dicitur respectu præsenti, in quo aliquid fit, & si in præterito quid fieret, prælens foret, cum fieri prælens notet non in futuro esset enim priusquam esset, & futurum non est ubi præsens non fuit, itaque in præsenti, nō enim creatum aut creandum, non notat illud in quo res fit, sed nō deum creari, illud autem creari nil nisi prælens constitui substantia notat, quod si igitur tollatur illud præsens, in quo actio recipitur in subjectum (ut ita loquar) creatio tollitur, creatio enim passiva, quam sub creatione comprehendimus aufertur, igitur nec creatio ponitur.

## V.

Repugnat ex parte creaturæ quamvis forsitan omnis impossibilitas à parte cause sit, signative tamen in re est, itaque si & in omni ente creato requiratur primum momentum in quo incipiat existere ergo nullum creari ab æterno potest. Sed e. major

major prob. Quia in Dei duratione impium est concipere pri-  
mum momentum Mi. prob. quicquid enim, quia, creatum  
est per creationem accepit esse, non tantum existens sed &  
durationis, ergo cum accepit tum demum incipit esse (alio-  
qui increatum foret) creatio enim (sunt verba Zua. disp. 50.  
sect. 2. n. 13.) rei alicujus incipit per primum esse, id est res  
creari tum dicitur cum incipit existere, paulo ante tamen dicit,  
res permanentes, incipiunt existere, per primum sui esse, non  
ita vult ac si postea existarent per secundum sui esse, sed in  
ordine ad tempus imaginarium haec concipienda, qui meti-  
tur ejus esse, post fuisse, à primo esse quod incipit per crea-  
tionem, seu quod per creationem productur, quia tum cum  
creatur nondum dici potest creature extitit, sed tantum ex-  
stit, quicquid igitur quando creature tum per creationem ex-  
istere incipit, & per consequens demum habet primum mo-  
mentum existentie, vel enim ante creationem, vel post, vel  
tum cum creature, vel non incipit existere, non ante, quia jam  
creari non posset, cum rei constitutio è nihilo, requirat ne-  
gationem praexistentis subjecti, non post quia actio illa ter-  
minatur in actualitatem objecti, si non incipiat, ergo semper  
de ea re verum fuisse dicere, extitit, nec concipi momentum  
posset in quo hoc verum non fuisse, hoc autem fallum, sic  
enim semper conservata nunquam creata fuisse, conservatio  
enim si creationi opponatur, perpetuatio quedam in esse est.  
Ergo cuius esse nondum perpetuatur seu continuatur, id  
nequit dici conservari prout opponitur ad creari, sed quod  
jam creature dum creature, ejus esse nondum perpetuatur seu  
continuatur. Ergo quod jam creature dum creature nondum  
potest dici conservari, & per consequens de eo nondum ve-  
rum est dicere extitit. Major certa, quia conservatio, passiva  
sci. nil aliud est quam conjunctio multorum praalentium, &  
affluxio futurorum, ut Scaligero placet, exer. 307 s. 27. fol.  
413. verso, cui ergo nullum futurum affuxum, de creatis  
sermo est, id perpetuatum in esse dici nequit, (minor patet  
in eo enim instanti seu praesenti, in quo quid creature impos-  
sibile

ibile est ut dicatur esse cōjunctio multorū, præsentī præsens  
quippe hic indivisibile tantū, præteritum enim hic antecessit  
nullum, nec futurum affluxum, ut idem quod tunc fuit, nunc  
esse, & præsentia illa jam præterita, futura affluxa, quasi re-  
servata habere dici possit. Igitur cum quid creatur tum dici  
eo non potest extitit, sed existere incipit, dici ergo non po-  
test quod non incepit, quod enim non incepit id nec per  
creationem incepit, ac tum neque creatum est, si enim per  
creationem incepisset, tum incepisset. Restat ergo dicendum  
quod tum incipiat existere cum creatur, hoc autem totam  
causam tradit, repugnat enim ut quod incepit ab æterno sit,  
quia quod incepit id habet instans in quo incepit: Non enim  
pluribus incipit, quicquid autem habet instans in quo incepit  
id nequit coæternum esse, ei quod non habet instans in quo  
incepit, sed omne quod creatur id habet tale instans. Deus  
autem non. Ergo quicquid creatus Deo coæternū esse nequit.

V I.

Quia nulla creaturæ duratio à priori infinita esse potest:  
Quod ut pateat considerandum est, ipsum primum (si non  
tempore saltem duratione) seu præsens fieri à par-  
te creaturæ & ejus durationis, quod enim factum est id ipsum  
transiit per fieri primum seu præsens, hoc ergo in eo, vel illud  
in isto fieri considerari potest: Itaque cum ita creatur res  
tum vel tota duratio concreatur vel non: Non prius, illa enim  
vel infinita deberet esse vel finita, nō infinita, quia vel esset per  
continuationē talis, vel ipsa æternitas: Non hoc, quia illa crea-  
tur nequit: Nō illud, quia duratio illa se ipsa lōgior foret, omne  
enim cōtinuatū eodē nō continuato longius est, quicquid au-  
tem creatur quando creatur non est continuatū, alioqui cōti-  
nuatio fieri posset indivisibili præsenti, quod concipi non po-  
test, cum omnis duratio momento quo concreatur adæqua-  
ta sit, & momentum durationi, utique se ipsa foret longior  
hæc duratio, finita simul & infinita, non enim continuatur  
illa duratio priusquam sit creata, tum ergo cum hoc quod  
continuatur creatur, res nondum duravit duratione per con-  
tinua-

tinuationem infinita , tum ergo nec duratio infinita . Cum enim hoc quod continuaretur infinitum non foret ) continua-  
tionem enim tale foret ) & illud æquale foret ad minimum  
indivisibili præsenti , minus enim esse non posset , clarissime  
patet hoc quod indivisibili isti præsenti est est æquale , eodem  
quo creatur præsenti , seu tum cum creatur , per continuatio-  
nem infinitum fieri vel esse non posse , nisi se ipso in infini-  
tum longius sit : Si finita sit illa duratio . Ergo cum tantum sit  
finita quando res creatur , nunquam erit infinita , nihil enim  
à priori infinitum fieri potest per additionem à posteriori . Si  
tota duratio non creetur cum res creatur . Ergo vel prima ejus  
pars vel media vel simile quid , sed nihil potest excogitari quod  
difficultatem tollat . Ergo cum nulla creature duratio à prio-  
ri infinita creari posset etiam nulla creature ab æterno creari  
potest .

## VII.

Ex absurdo quia non esset producta secundum ideam , &  
tum ei non conveniret veritas Metaphysica , & tum non foret  
ens , veritas enim est convenientia entis cum idea , quæ est  
mensura : Quia quod ab ente intellectali productum secun-  
dum ideam est , illud intendebar priusquam produceretur ,  
actio enim appetebatur , ut terminus intentus per eam con-  
stitueretur præsens , tum . E. absens , itaque ante quam insi-  
tueretur actio , terminus cognitus erat , volebat enim eum  
per actionem causa , nil autem volitum nisi cognitum , & actio  
cum sit minus quid , non intenditur per se , sed propter optimum  
per se intentum , intenditur , ( ita nunc loqui liceat ) quod  
minus est : Igitur ante esse actionis , terminus ut ea nobilior  
intentus erat , certum enim est , ignobilius non expeti aut ad-  
hiberi propter nobilis , si hoc in esse cognito & intento , non  
præcedat ignobilis in esse actuali : Utique ante esse actuale  
actionis quæ ignobilior est , terminus nobilior in esse cognito  
& intento erat , si enim ante esse actionis , terminus ut nobili-  
lor non cognoscatur ergo nec cognoscitur quod sit nobilior ,  
ergo Deus cum per actionem nō intendebat . Cum enim per in-  
tentio-

tentionem finis exspectatur ut per media obtainendus Thom. I.  
2. qu. 8. & 12. nunquid hic, ubi nec finis cognitus, nec causa,  
media in esse actuali posita, præcessit, intentionem pone-  
ret? Nam primo ignoti nulla cupido, ignotus autem finis.  
Deinde vel exspectatur finis, ut per media obtainendus, dum  
media actus sunt, vel dum non sunt. Non prius, mediis enim  
actu positis & applicatis, non intentio finis obtainendi, ut ex  
terminis palam est, sed fruitio, obtenti finis est. Non poste-  
rius quia  $\tau\delta$  dum in quo non fuere media & finis actu hic con-  
cipi nec debet nec potest, igitur dici non posset Deum in-  
tendisse hoc quod creavit creare, nec secundum ideam illud  
producere potuisse.

### VIII.

Ex altero absurdo, quia foret ens necessarium necessitate  
naturæ à Deo productum, quod ex argumento ubique obvio  
patet, potuisse id enim alioqui non fuisse, vel ergo antequam,  
vel dum crearetur, vel postquam creatum esset. Resp. Co-  
nimb. 8. Phys. c. 2. q. 6. a. 3. quod dum crearetur potuisse non  
fuisse, rursus. Resp. malum id cause eorum remedium. Nam  
si illud, dum, restringant ad partem creaturæ, & componant  
cum creari, tum sensus (compositus scil.) erit, quod res illa  
eodem momento, quoad idem &c., fieri & non fieri potue-  
rit. Deinde ipsi sibi obloquuntur cum nobis momentum o-  
stendunt in quo cum siebat, non fieri poterat. Si  $\tau\delta$  dñm re-  
stringant ad momentum à parte creaturæ, & componant cum  
indifferentia voluntatis, tum sensus erit quod in eodem mo-  
mento, utrique communi, in quo creabatur, respectu indif-  
ferentie voluntatis potuit non creari, & hic sensus divisus,  
qui semper dum Deus creat admittitur, ab æterno autem hic  
locum habere non potuisse cum enim hic duo momenta na-  
turæ necessario concipienda sint, ad quorum prius referatur  
posse non creari, ad posterius creari, non posset dici quod  
dum creaturæ posset non creari, nisi illud dum designet mo-  
mentum temporis, cui illa duo naturæ momenta includantur:  
Cum enim servatis oppositionis regulis, certū sit, quod res dū  
creaturæ non creari dici nequeat, utiq; recurrendū est ad priori-  
ritate

ritatem quandā naturæ, præcedentem illud dum, restrictum ad creari, jam autem adhuc falsum foret; quod dū crearetur, non creari posset: diversa enim hic sunt momenta: Igitur illa duo, in uno quodam utrique communi includantur necesse est, quod cum naturæ esse nequeat, idem enim se ipso altero tanto majus non est, utique debet esse temporis. Ex quibus sequitur quod nihil dum creatur non creari posse dici queat, nisi in momento temporis fiat, quia autem quidquid creatur, dum creatur non creari potest, sequitur quod quidquid creatur in momento temporis fiat. Ergo ab æterno nil creari potest. Neque etiam datur recursus ad momentum naturæ, quia nullibi datur prioritas aut posterioritas naturæ tantum, inter causam & effectum, quin datur simultaneitas; temporis respectu ejusdem momenti, si enim alterum momento prius esset altero, plusquam natura prius esset; in duobus autem duratione infinitis locum hoc habere non potest, cum enim illa prioritas sit in & cum principii simultaneitate sequitur quod quandiu datur præcedens duratio, tamdiu nondum possit dici alterum natura tantum prius esse altero, tempore enim esse posset, sed durationis principium seu primum momentum respiciendum, & in eo utrumque convenire supponendum, atqui duo duratione infinita, ejus principium seu momentum primum non habent. Ergo, repugnat ut duratione infinitum natura tantum prius sit quopiam alio, sed inter quæcunque naturæ tantum prioritas est utrumque duratione finitum sit, necesse est. Ergo impossibile est ut Deus natura tantum prior sit eo cujus causa est.

## COROLLARIA.

I.

**E**nī concedimus unum conceptum objectivum univoca-  
tionem tamen ei denegamus.

II.

*An actualis inherentia sit de formalis accidentis ratio-*  
*ne?* *Aff.* An.

*III.*

*An unum addat enti modum positivum, an vero negatio-  
nem per modum privationis. N. pri. A. post.*

*IV.*

*An actus adulterii, odii in Deum, sint quoad substantiam  
mali vel quoddam malum quatale positivum, aut contra?*  
*Neg*

*V.*

*An rationis recte iudicio annihilationis sit eligibilis prae-  
eterna damnatione? Aff.*

*VI.*

*An haec propositio; Deus est, sit per se nota, an eadem pos-  
sit esse objectum materiale scientiae & fidei. Aff. utrum-  
que.*

*VII.*

*An certitudo sensuum sit tantum moralis, id est, conjectu-  
ralis? N.*

*VIII.*

*An actus voluntatis infallibiliter sequatur intellectus  
iudicium practicum comparativum? Aff.*

*IX.*

*An quicquid sit ex hypothesi decreti cause prime non pos-  
sit, non fieri? Aff.*

*X.*

*An anima humana sit accidens seu attributum vel modus  
corporis, & an in cerebro tantum existat? Neg.*

C

Prio-

# Prioribus Anti-Cartesiana

hæc adjecimus.

## I.

**A**N liceat de omnibus dubitare, ac sensibus omnium fidem detrahere? Neg.

## II.

An ante ipsum recte probatum sit esse Deum? Aff.

## III.

An ille firma ratione, & quidem primitus Atheis ora occluserit? Neg. pr. Non sine blasphemia post:dicitur.

## IV.

An Idem, quod causa efficiens facit, respectu effectus, Deus quodammodo erga se præstet. Resp. & hoc affirmare blasphemum est.

## V.

An primum principium sit cogito, Ergo sum? Resp. nūgæ sunt.

## VI.

An supremum orbem nullus claudat terminus? Neg.

F I N I S.